



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quod Christi & Sanctorum arcta via fuerit, quam monastici homines imitari
nituntur & Lutherani fugiunt. Cap. XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Rom. 5.
Spes quæ
non coa-
fundat.

Rom. 6.
Eph. 2.

Iustificatio
quid inter-
dum signifi-
cat

Iustificatio
duplex.

in quam sperant. Quæ ipsorum spes non confundit, quoniam rectè in misericordiam gratiamque Dei sperant, si etiam quæ ab ipsis requirit Deus, ipsi quæ placere cognoscunt, faciant. At illi, qui operari nolunt, quia charitatem Dei, de qua loquuntur, in lingua solummodo gerunt, sua miserè spe frustrabuntur, semetipsos decipiunt, & se falli per falsas peruersasque scripturarum expositiones sinunt: sicut cum Apostolus in multis suarum epistolarum locis rectè ad fidem conuersis scribit, quod gratia Dei saluati essent, & per fidem, non ex operibus, quæ præcesserunt, iustificati. Et ibi de ea salute, quæ in hac vita est iustificatio hominis, loquitur, quando ex ira Dei in gratiam illius restituitur, ex statu iræ & damnationis in statum pertingit gratiæ & salutis, hoc est, in statum, in quo saluari, & à quo recidere potest. Quandoquidem non talia ihs dixit verba Paulus, qui iam in cælo sunt apud Deum: verùm ihs, qui adhuc in mundo superstites erant, & ex filiis iræ, filij gratiæ & filij Dei facti fuerant: quod contigerat ihs (ait ipse) ex gratia Dei, & non ex operibus præuijs, quibus huiusmodi vocationem, adoptionem, & iustificationem à Deo meruissent, sicut nonnulli, qui ex Iudaismo erant, Christiani sibi arrogabāt. Tales ecce locutiones Pauli quidam Lutherani vsurpant & interpretantur de extrema illa, quæ iustorum animabus, cum ex hoc mundo discedunt, Deo tribuitur, salute. Atqui non de ea hic Apostolus loquitur, in qua nondum erant, quibus scribit. Superstites enim hic erant, & salutem gratiæ Dei amittere facile poterant, hoc est, negligere eam, vt non etiam adipiscerentur vltimam salutem. Siquidem ad nanciscendam eam, non satis est, vt credas, aut à spiritali morte sis resuscitatus: quæ est prima salus, ad quam venimus, citra, vt scribit Paulus, meritum nostrum. Sed cum per Dei gratiam es viuificatus, oportet te veluti viuum hominem, quæ tibi Deus præcipit, gratia ipsius facere, quæ tibi cooperatur, & tua sibi accepta & meritoria opera reddit. Et sic per gratiam Dei præcipuè, & per bona opera ad coronam postremæ perpetuæque beatitudinis te peruenire oportet. Sed ad illam per gratiam solam sine operibus, quæ tibi præcepta sunt, quæque efficere potes & omittis, tametsi ita speres, peruenire te posse si credas, profectò deciperis: ni te contingat in nouissimo vitæ articulo tuum errorem agnoscere, & de eo grauissimè dolere: quod rarum sanè est, ideoque non est vt id præsidias.

Quod Christi & Sanctorum vita arcta via fuerit, sicut in Euangelio docetur, quam boni homines monastici imitari nituntur, & Lutherani fugiunt.

Caput XXII.

Matt. 7.
Luc. 13.
Lutherani
num arcta
gradiantur
via.

Saluator noster Christus, qui nos viam docuit, & semetipsum suæ vitæ exemplo viam nobis ad æternam vitam fecit, præmonuit nos, vt à lata perditionis via caueremus, & arctam viam, quæ ducit (præterquam non et alia) ad vitam, ambularem. Iam bene cernere licet, num Lutherani, qui omnes leges & edicta superioris potestatis rejciunt, angustam viam inambulent, cum tam latam ex ea viam faciant prorsus contra Christum, festandis sensuum voluptatibus, explendis concupiscentijs carnis, & carnali libertate colenda, cui profectò doctrina & vita Christi omniumque Sanctorum repugnat.

pugnat. Qui corpus suum per castigationem carnis, & subtractionem non modo voluptatum carnis, verum etiam rerum carni necessariarum, crucifixerunt. mundi etiam amorem in seipsis peremerunt, itemque priuatum amorem, proprium commodum, propriam voluntatem extinxerunt. Tali Christi Sanctorumque vita, vita & doctrina Lutheranorum concionatorum penitus aduersaria est. Quorum de spiritu sunt verba, at opera in carne versantur. Boni religiosi huiusmodi Sanctorum vitam, & in vita Sanctorum vitam Christi sectari desiderant, viamque angustam propriam abnegationis & abdicationis inambulare. Proinde ad tale se vitam propositum contulerunt, vbi eiusmodi statuta & regulae praescriptae sunt & retinentur, per quas verum Christoque consonum Euangelium (quod nos ad vniuersam perfectam charitatem Dei ducit) obseruatur, non solum verbo & lingua, sed opere & veritate (velut in priori sua epistola Ioannes hortatur) per auxilium Dei, quod paratum est, & praenit omnes ipsum exoptantes.

Boni religiosi ut Christi & Sanctorum vitam imitentur.

1. Ioan. 3.

Quod religiosum in monasterijs propositum, non prohibendum, sed consulendum & protegendum sit, ut recte conseruetur, vnde tantum boni ipsum retinentibus exoritur.

Cap. XXIII.

EX his omnibus conficitur religiosum propositum non vetandum, sed consulendum esse illis, quorum corda Deus instigat & mouet ad ipsum amplectendum, in quo, ut sanctus pater Bernardus inquit, propria nimirum doctus experientia, bonum est esse, quandoquidem inibi (loquitur hic de clauis & bene ordinatis caenobijs, in quibus iuxta Patrum Canones & primam institutionem viuunt) purius viuunt, rarius cadunt, citius resurgunt, cautius incidunt, securius quiescunt, frequentius aliquis irroratur (intellige per gratiam Dei & feruorem spiritus) & citius purificatur, moritur confidentius, & copiosius remuneratur. Idque ideo sane, quod in monastica vita propriae nostrae voluntatis inconstancia per votum in bono firmatur, quae nimis autemque imbecilla est, citoque labitur. Caeterum per votum illi mala perniciosaque libertas ad malum adimitur. Maximè item peccatorum occasiones, quae saepe etiam bonae voluntatis hominem seducunt, in vita monastica auferuntur, spiritus infirmitas per superiorem potestatem, per regulam & bonum aliorum exemplum cohabitatorum, roboratur & extimulatur, mala voluntas per disciplinam, castigationem, & multam impeditur. Adeo, ut quicquid in ea institutum ordinatumque est, ideo institutum ordinatumque sit, ut homines in ea conuientes adiuuentur & incitentur: & animum suum ad Deum, suumque propositum, ad ei perpetuo placendum latius intendant, promoueant, proficiantque in virtutibus, & potissimum in charitate diuina, ex qua virtutes omnes nascuntur, & à qua virtutes omnes hoc habent, ut virtutes nominentur. Et ideo quisquis verè, & ex toto charitatem habet, omnes etiam reliquas virtutes possidet. Quapropter Paulus dum priori ad Corinthios charitatem describit, ita ipsam describit, ut ostendat charitatem in se virtutes omnes complecti, comprehendereque. Proinde qui charitatem habent, virtutes quoque quae ex ea scaturiunt, habent. Paras sunt

Religionis monasticae quara comoda.

Religionis monasticae instituta & ritus omnes quo spectet. Charitas fas & summa virtutum omnium. 1. Cor. 13. Charitatis effectus.